


R. 1. 4

Ms. lat. 1. 5.

VIRTVS CAROLVS VOLVPTAS





* B E A T I S S I M *
 PATRIS NILI, EPI
 scopi & martyris Theologi
 antiquis. Sententiæ mo-
 rales e græco in lati-
 num versæ.

* *
 Bilibaldo Pircheimero Norim-
 bergensi Interprete.

Hic paucis redolet quicquid cecinere pphete
 Et lex & quicquid sacra Sophia docet.

M. D. XLVII



Bilibaldus Pirckheymer sorori suæ Claree apud diuã
Claram Nuremberge moniali. S. D.

Cum reuerendus, & nunq̃ sine honoris præfatione mihi
noñandus, Dñs Iacob^o Bannissius, Cæsarię maiestatis a cõ/
filijs, & secretis, Decanus Tridentinus dignissim^o, Codicẽ
peruetustũ, q̃ miserãda Græcia elapsus, captiuitatis iugũ
euaferat p̃ cõmunẽ amicũ, Ioannẽ Stabiũ, Imperialẽ Histo/
riographũ, & Mathematicũ insignẽ, ad me misisset, egoq̃
leui trãscursu illũ delibassem, sorte q̃dam in beatissimi p̃ris
Nili, Ep̃i & martyris Cbristi, sententiõsa icidi dicta. Quæ cũ
nõ min^o bona fruge referta, quã tãto autore digna visa fuisset,
ea i latinũ vertẽdi Cupido subijt Cõmodũ et eni redẽ/
toris nr̃i salutifera instabant natalia, mibiq̃ aliquãtisq̃ a ci/
uilib^o curis interiunxisse videbar. deo q̃ triduanũ illd^o tẽp^o,
qd^o diuinis supabũdaturũ erat obsequijs, huic tam pio ope/
ri impẽdendũ esse cẽsui, nec voto euẽtus defuit, negotiũ eni
aggressus, intra præscriptũ tẽpus, nõ tam elcgãtia quã veri/
tati studẽs, absolui, Ne igit̃ mea suauissima Clara, semp̃ ma/
tri abbatisse, & cõm.ũ sorori nostræ charitati optiẽ (p̃bato
illi Hesiodi æmulationis genere) inuideres, hæc tibi destina/
re volui xenia, nõ q̃lia cœca gẽtilitas, Saturnalibus mittere
cõsueuit dieb^o. Sed quẽ Christianæ pietati ob verbũ incar/
natũ, admodũ cõuenirẽt. Accipe igit̃ adamata soror, mun^o
existimatiõne mea haud cõtẽnendũ, nõ sec^o ex vera & Theo/
logica philosophia, quã aurũ, thus, myrra ex sacris magorũ
thesauris oli deprõptũ, cũq̃ sis virginalis chori institutrix,
tã præsentaneũ cõtra vitia remediũ, teneris adhuc mētibus
instilla, id si feceris: senties p̃fecto, tã generosũ semẽ, fructũ
debitũ suo tẽpore p̃ducturũ. Vale iucũda mea Clara, itaq̃
filias instrue nostras, vt claritatẽ si minus nomine, attamen
te ipsa quãdoq̃ adipiscant, Ex ædibus nostris q̃rto Calen/
das Ianuarij Anno salutis nostræ M. D. XVI.

SENTENTIAE BEATISSIMI
patris Nili Episcopi & martyris.

Timorem pariter et desiderium erga deum habere necesse est, erga homines vero cunctos puro conscientiae testimonio uti decet.

Deum ipsis in singulis quae agis, semper praesentem esse existima:

Laudem fuge, at vituperij te pudeat,

Cum virtuose quid agis gaude, Ideo tamen te extol-
re noli, ne in portu naufragium accidat.

Quanto magis in ege proficies, tanto plus ad perfecti-
onem tibi deesse intelliges.

Vnius cuiusque rei, ante principium finem exquire.

Die ac nocte, ultima tibi coram oculis versetur hora.
& nullum vitae desiderium ad terrena te detrahet.

Cum eo homine, a quo bonos abhorrere cernis, nullum
tibi sit commercium,

Nemini siue dictis, aut factis, vel studijs tuis, nocere
velis.

Ob ea quae in praesenti vita florida esse videntur, ne lae-
teris. Nam graminis flos, & si leuiter attrectetur, tabescit.

In aduersis gratias age, & iugum tuum leue erit.

In tentationibus sis cautus, quamplurimos enim maio-
rum redarguerunt.

Dei tolerantiam ne incusa, commune etenim est phar-
macum.

Scelera odio prosequere, sed propter ea deum incusare noli.

Recte agere potius, quam alios reprehendere conemur, nam
& multa in nobis existunt, quae ab alijs taxari queant,

Assidue per salmas incumbas, deus enim nominatus de-
mones expellit.

Oratio cum sobrietate fiat, ne deum in his quę respuit
placare conemur

Semper mens deo inhæreat, cœlestisq; tua fiat cogitatio,
Oculos refrena, nam cū haud aduertis circūflectuntur.

Lingua

Lingua coerce, sapius enī, p̄fert quæ fatius est cælare
Legis meditatione intellectus agrum colito, id si frequē
tabis, cogitationes peruersas extirpabis.

melig

Virtutes cælare, at vitę testes multos acquirere memēto.

Carnis voluptates odio prosequere, nam corporis for/
des animam quoq; inficere solent,

Ventri quantū indiget, nō quantum cupit impende.

Delicias ne amplectere, amorem enim præsens vitæ cō/
ciliant, verum dei odium generant

Vitæ gaudia fuge, nam labilia cum sint, in eis exultan/
tes deserunt.

Diuitias si possides distribue, sin minus, haud collige.

Ieiunia armaturam, orationem muros, lachrymas vero
balneum existima.

Exitus nouissimi cum gemitu recorderis, hinc enī ani/
mæ compunctio oritur assidua.

Pauperes foueto, illi enī iudicē nobis placatū reddunt.

Sanctis necessaria communicato, per illos enim nobis
cum deo fit conciliatio.

In ecclesia non secus ac cœlo versare, ideo in ea nil lo/
quere vel cogita terrenum.

Vt contenti simus necessarium existima, sic enim deo no/
stri curam iniungimus.

Carnem tuam sanctis afflige laboribus, verumtamen pe/
nitus eam domari posse haud existimes.

Vinu

Vino vtere moderate, quemadmodum enim iugurgita/
tum baud mediocriter offendit, ita temperate haustum bi/
bentem corroborat.

Iram compesce, nam cum modum exceſſerit inſaniæ flā
ma exiſtit.

In valitudine aduerſa, oratione primo, inde vero medicis
ac pharmacis vttere.

Sacerdotes omnes honora, cum bonis vero tm̄ cōuerſare
Dei domum venerare, at dei domum conſtruere ex te ip
ſo adnitere.

Eccleſiam frequentato, a motibus enim ac perturbatio
nibus exterioribus, nos liberare ſolet.

Cum omnia terrena ſint fluxa, ne te perturbēt euanida.

Quotienſcunq; te voluptatis inuadit affectus, turpitudi
nem humanam, offenſamq; oppone diuinam.

Præcipue auditum ac viſum munire memento, potiſſi
mum enim illac malitiæ tela penetrant.

Cum oras, a deum mentem attolle, q̄ ſi inde exorbitet
iterum colligere ſtude.

Senſus haud vnq; definit cogitatiōes generare, at tu pra
uas expellere, bonas vero fouere aſueſce.

Humilitate gaude, nam ex ipſa decidere haud poteris
alte.

Labori ita eſt incumbendum, vt motus carnales compri
mi valeant, at cum ægritudo incubuerit, corpus reſtauran
dum erit, vt ſanitatem adipiſcat, non eneruet de' t̄ijs.

Cogitationes prauas, alijs cogitationibus, verum bo
nis depelle.

Decorem cœleſtium conſidera bonorum, & rerum ter
renarum deſyderio non capieris, nec aliquid earum tibi iu
cundum erit.

Cum deum humiles exaltare, potentes vero deprimere
cernis, non tantum deo, quantum hominibus id acceptū
refer, quibus haud tutum eſt mediocritatem ſupergreden
do atollī.

A iij

Cogitationes prauas, diaboli semen existima, sic enim ille desinent, scelerumque fator confusus recedet.

A risu immoderato abstine, nam animam eneruat, legis quoque frenum laxare conatur, ni tempestiue remedium adhibeatur.

In opera, & orationes, animam diuidere oportet. Ita enim haud multos in nobis introitus diabolus inueniet;

Opus esse non mediocre, legis meditationem existima, nam cum lingua menti concurrit, haud vulgaris in libris labor peragitur;

Cum operi manum adhibes, lingua cantet, mens uero oret, deus enim a nobis, ut sui memores simus, exigit.

Omne opus oratione signato, potissimum uero illud, cui cogitationes esse uides circumfluas.

Si manuum tuarum opera diuina fieri cupis, partem eius indigentibus distribue.

Sanctorum gaude colloquio, per ipsos enim deus tibi manifestatur.

Veres sanctos ab operibus dignosce, a fructu enim omnis discernitur arbor.

Semper quid lucris, ex sanctorum speculatione consequi adnitere; formam quoque & aspectum eorum obserua, ambo etenim prodesse solent.

Innocentiam in corde, castitatem uero in corpore exerce, utraque enim dei templum aedificat.

Ita tui corporis templum custodi, tanquam ipsum construxeris, de illoque diudicaturus, imaginisque ipsius, momentis singulis rationem redditurus sis.

Secularium conuersationes, mentem, ac cogitationes a deo separant, ideo seculares ne crebro alloquere, alloquentes uero declina,

Cum conuictio afficeris, considera, num rem aliquam

conuicio dignam perpetraveris, q̄ si in fontem te esse cognō
ueris, conuictum fumum existima.

Cum tibi iniuria accidit, ad tolerantiam confuge, iniu-
riae vero nocumentum, iniuriantes prosequetur.

Cum audis diuitias, gloriam, seu temporalem potenti-
am laudibus extolli, quam labilia, haec sint considera, sicq̄
illecebras effugies,

Tribulationes patienter sustine, inter eas enim virtutes,
quemadmodum inter spinas rosae germinant.

Nullam rem virtute preciosiorem existima, nam cū ima-
go dei sit, quemadmodum & ipse immutabilis existit.

Peccatorem fortunate agentem luge, iusticie enim gladi-
us extensus, capiti illius imminet.

Matrem vitiorum segnitiem putato, que enim possides
auferre solet, qua viro non possides, ne ea consequaris pro-
hibet.

Cum quis peruerse agit, nec tamen pudet, graui est sau-
tius vulnere, ac de illius salute desperatum est.

Vitae considera inconstantiam, nilq̄ a vero tramite te
flectere poterit.

Terrenis ac fluxis delitijs ne oblecteris, animam enim
(tanq̄ hamus pisces) inescatam decipiunt,

Tentationes declina, ingruentibus vero virilitatem
ostende,

Pauperem lachrymantem ne despicias, ne & tuae pre-
ces lachrymales. quandoq̄ despiciantur.

Philosophia praecipua est hominibus possessio, at cum
sit vnigenita, sola, a solo possessione intelligi dignatur,

Indumentum dei est virtus, hanc contexe, & fiet stola q̄
tu, qui eam confecisti, dei instar amicitari poteris.

Que in terra furari possunt declina, coelestia vero ope-
rare, nam illa praedonum manibus gripi minime possunt.

Delicias expellere oportet, ad opera enim perducunt, ex
quibus suspiria, postquam ad se reuersus homo fuerit, oriuntur.

Cogitationes carnales abhominari conuenit, corpus enim
corrumpunt, animam vero inquinant.

Nec bona terrena absque laboribus acquiruntur, cur igitur
coelestia propter labores declinamus?

Cum virtutis te labor affligit, cogita quod labor est tem-
poraneus, merces vero aeterna.

Qui voluptatibus obscenis detinetur, quam breui illis
frui concedatur, quam diu vero poenas ac supplicia ob eas
expensuri sint, cogitent.

Quantum vita sordidior, tantum anima est bestialior, me-
rito itaque rationale, tanquam seipsum puniens deplorandum.

Cuncta corruptioni subiacere existima, virtutem vero so-
lam corruptionis expertem.

Quae hominem ratione priuare solent, cuncta fuge, ea vero
quae coelesti semine te defluxisse, ostendere valent, perage.

Si ventri imperabis, impera & linguae, ne seruituti huius
subiaceas, illius vero libertate inutili exultes.

Deum ama, nec illi domesticos praefere, ne & tu ipsius, iux-
ta vocem eius, indignus, cum non volueris, inueniatis.

Fortiter tribulationes perfer, eis enim qui in illis decer-
tant, coronae plicantur.

Beatus qui malum patitur, infelix vero qui facit, Nam
patiens Christi haeres. at faciens diaboli cohaeres esse depre-
henditur.

Bonus ieiunij panis, quandoquidem a voluptatum fer-
mento liberat.

Orationis vis sancta, ad nos enim sanctum sanctorum pertrahit.
Nec tibi iustitia absque virtute consistere videatur, nam sine
ipsa omne opus inmundum est.

Si pauperibus seueris, quae tua sunt semina, nam aliey

na zizanijs sunt amariora.

Cecus est misericors, ni sit & iustus, agrum enim colit,
quem metere nequit,

Mortem semper expecta, non tamē timeas, vtrumq; ete-
nim veræ philosophiæ est character,

Virtutem planta, non vt homines decipias, sed vt vi-
dentibus vtilitatem afferas.

Honeste, etiam non honesta agentē, loqui decet, vt ope-
ra bona incipere discat, cū verborū turpiū eum pudeat.

Si cœlum desideras, nil tibi cum terra, haud enim illa ad
illum tendere permittit.

Ne velis ditari vt pauperibus inde benefacias, deus enim
iustum exijs quæ possidet, misericordie exercere opa sancit.

Si potus aquæ frigidæ iustificat misericordem, quam re-
tributionem pauperibus denegantē manere existimas?

Matres virtutum castitas & compassio, quo pacto igi-
tur sine vna vel alia christo militare poteris?

Ne compassionem negliges, illa enim ex cœlo nobis salu-
tem nostram detraxit.

Noli contemnere castitatem, nam illius organum, crea-
torem carnem factum hominibus exhibuit.

Ne dicas ex inimicis vltionem sumam, iustum enim iu-
dicem in cœlis habebimus.

Nec diuitias, neq; delicias, siue gloriam appete, hæc
enim corruptiões sunt vitæ, nos vero corruptibiles haud
sumus.

Mortuum ne luge, communis etenim est via & beatus
qui præcessit.

Peccantem luge non pauperem, coronabitur enim iste,
ille vero plectetur.

Vitæ cursum inordinate rotantem deride, at sortem ad
quam dormientes in illa, de uoluit caue.

Deo loquere multa, hominibus vero pauca, at legis meditatione utraq; recte dispones.

Balneum animæ bonū, oratio est lachrymosa, at cū oratione memor sis, cuius rei gratia lachrymas effundis.

Seculi principes ne beatos existima, potentes enim cum potenter præsent, ipsi quoq; iudicem austeriorē habebūt.

Filij Adā cū simus, ut laboremus est necesse, nam si hic laborabimus, in futuro seculo retributionē lucrabimur.

Cum Eua prognati sumus necesse est ut affligemur, verum si iucunde tribulationes sustinemus, in benedictionem nobis maledictio vertetur.

In rebus gerendis conscientia pro lucerna utere, hæc enim quid nam in vita bonum, pariter & quid sit malū ostēdit.

Mos ipsos dñi iudicemus & iudex placabitur, ut bon⁹ enī gaudet, cū peccatorem onus suum discernentem videt.

Si sordidum quida nobis commissum est, penitentia abluatur, imaginis enim nostræ puritatē imitari tenemur.

Priusq; animæ denudentur vlcera lachrymis sunt curanda, ut pharmaco isto poena valeat evitari.

Quemadmodum vinculis astricti grauiter incedunt, ita negotijs implicati secularibus, virtutis cursum pure perficere haud valēt.

Oportet peccatum odio habere, ita enim ipsius laqueus priusq; perdat, evitatur.

Qui peccatum non odit, inter peccatores, & si peccatum non committit iudicabitur.

Ob proximi peccatum tanq; tuum suspira, quandoquidem omnes peccatis sumus obnoxij.

Cū proximū affligi cernis, iudicis reminiscaris, & tuum vulnus curabis, consilij etenim pharmacum cōmune est.

Cum quid dicere seu facere intendis, prius excusationem, quam paulo post prætere conaberis, petpende

timoreque delictum corriges, & modestius in cunctis ages.

Timor pariter ac pudor a peccato te absterreant, quamuis facile sit his utrisque recte uti.

Quotiens tristitia affligeris, considera quanta bona sanctis preparata sunt, indeque fructus, gaudium idelicet spirituale, tibi nascetur.

Fidelem erga omnes humiliari decet, coram quibusdam enim solum humilitatem praeseferre, potius ficta, quam vera humilitas esse redarguitur.

Nil te a proximi amore deterreat, praeterquam si dei amor ledatur.

Nemini contra dei legem auxilium, seu praesidium feras, absurdum enim quempiam huic digniorem censere.

Malis patrocinium ne praestes, quod si secus feceris, non solum scelerum adiutor eris, sed & peccati communionem inquinaberis.

Peccantem admonere, priusquam accusare velis, contumelia enim posterior, compassio vero prior.

Sanctos semper audire vel alloqui stude, ad bonum enim zelum animam excitant.

Mentem propriam unusquisque ecclesiae loco, domi habeat, ibique verae ecclesiae sacrificia peragat.

Si in ecclesia congregatio peragitur, tu quoque interesse velis, quod si non peragitur, tu concinens apostolicum evangelium versare.

Veram virtutis gloriam, eam quam sancti possident arbitreris, etenim immortalis cum sit, post vitae praesentis occasum permanet.

Tum maxime odio malitiam habebis, cum illam fulgurantem demoniorum super nos gladium esse considerabis.

Si errantem redarguis, compassionis benignaque commisce verba, & aures emollientur, cor vero illuminabitur,

Cum sanctis loqueris, quæ spiritus sunt loquere, quibus
tamen vita tua manifeste conueniat, sic enim virtutes ce-
lantem exhilarabis,

Quemadmodum neque virtutes, ita neque vitia absconsa
remanere valent.

Semper opera bona plane perficere studeamus, ne quan-
doque emigrantes, ea imperfecta relinquere cogamur,

Ita curras ut vincas, hoc est indefinenter, per virtutis eni
semitam currere oportet, donec vite stadium exuperemus.

In virtutis questu negligens ne fias, ne inanis labor la-
bori accumuletur,

Patientiam ad necessitatem exerce, ut in ea necessitatis
tempore omnem armaturam præparatam inuenias.

Inordinatis resiste cogitationibus, ac illis per ea quæ in
lege continentur responde.

Diligentia multa, a rebus terrenis oculos cõtine, ex illis
enim fumus oritur, qui animã fuligine denigrare solet.

Si consuetudine aliqua praua detineris, eam paulatim
rescinde, & sine labore ab anima spinas extirpabis,

Pure deum cum purus sit, dilige, mundi que negotia se-
cundaria arbitrare.

Nil philosophia gloriosius puta, nam cum mater legis
sit, regni quoque dei consors existit.

Si dei templum esse desyderas, sacrificium orationis as-
sidue offer.

Praue uiuentem ne consule, qui enim malis gaudet, bo-
na consulere non valet,

Ab omni corruptione abstine, mysticeque cœne quotidie
particeps fias, ita eni Christi corpus in nostrum mutatur.

Cum a deo corripieris, ne murmura, nam ut pater casti-
gat, ideo tanque benefaciens grarum actione dignus existit.

Si contumelia afficeris, gaude, nam si iniuste, copiosa

erit retributio tua, si iuste & respueris, flagellorum poenam euitabis,

Quae tristitia & hilaria in vita accidunt humana, vmbrae fumo, & rotae equipara, tanquam enim vmbra haud permanet, & veluti fumus euanescent, instarque rotae vertuntur.

Si omne peccatum superare cupis, rebus alienis operam ne impende.

Homo cum sis superbiam fuge, & si ditissimus existas, ac nunquam deum oppositum habebis.

Cum in dei exilis domo, ne eleueris, nam & qui regibus coram astant, neque superbiunt, vel se iactant.

Vitam propriam ne despice, nec praeter legem quid inconsulte perage, ut non praeter legem quoque perniciem incurras.

Alieno in fortunio ne arrideas, ne & tu cum haud velis, ab alijs irridearis.

Semper in operibus bonis ulterius procedere cura, nam si minutum minuto accumulaueris quotidie, breui diuitias ab omnibus expedas congregabis.

Ad virtutem via bona & compendiarum, vitae secularis est fuga.

Admonitiones istas obserua, ut coronam tibi nectas non perituram.

Qui incorruptibilem tenetur desiderio, nullius momenti corruptibilia censere debet.

Si vitam expetis sempiternam, humanam mortem semper expecta.

Odio praesentem vitam prosequere, quam inordinate enim ipsius versetur rota, cernis.

Ea bona quorum usus labitur, possessioque corrumpitur, ne adpete.

Fortunate agentes ride, infortunatis vero condole, illud enim prophetae est documentum, hoc vero misericordiae iudicium.

B

Cunctis rebus anima præferatur, virtutisq; cursus in deo
fatigante consumatur.

Oïa terrena sunt corruptibilia, aïa vero, est immortalis,
quapropter immortalia corruptilibus anteferre decet,

Fortiter perfer aduersa, & consequeris æterna.

A deo ne pete accepta, sed tantū vilia, illa etenim si pe-
tes haud concedentur, vbi vero consequeris officient

Paupertatem incusare noli, immobilem enim legis ath-
letam constituit.

Diuitijs ne exultes, illarum etenim curæ, vt plurimū ho-
minem a deo separant.

Supplicium si cupis euitare erumnosum, nulli vnq; cō-
uicieris, in talibus enim numen irritatur.

Si a te cunctā aduersitatem repellere intēdis, pximū tuū
maledictis haud incesse, ne ille quoq; contra te incitet.

Humilitatem, & si magnus existas, dilige, vt in die iudi-
cij exaltari queas.

Nemini detrabere velis, & in vniuersa vita tua nullum
inimicum habebis.

Puram amplectere vitam, vt cum securitate peccantibus
obuiam ire possis.

Ne temere quempiam increpa, ne ab hominibus arro-
gantia inculperis.

Prope est finis o piger, accingere ad iudicium.

**Cum vernum tempus sit breue, animæ agrum a spinis
purgare non differamus.**

Quamuis nil iudicem lateat, tamen quotidiē tanq; late-
re possimus peccamus.

Et si homines opera tua haud cernant, angelorum tamē
verecundia ducaris, multi etenim nobiscum versantur & a
cunctis prauis se auertunt operibus.

Qualem libram iudicis subiturus sis, assidue mediteris,

& quicquid in vita tua adulterinum erit, emendabitur.

Otium & intermissionem damnosam arbitrare, igitur semper aliquid perage, cuius rationem possis reddere.

Bonorum futurorum multitudo, pulchritudo, & magnitudo est inexperta, at presentia, umbra, fumus, bulla.

Maligna ne semina, verum etenim propinquum cum sit spinarum agricolam excipiet ignis.

Tanquam rosae in vita, Hypocritae, auari & voluptuarii, verum parumper sustine, & gramen videbis conculcatum.

Omne opus malum, contra nos diabolus armat, armatus vero, grauius contra armantes insurgit.

Vis inimicum exarmare, peccatum abscinde.

Haec obserues praecipua, ut te hominibus clarum reddat acceptum vero deo, illis enim numen gaudet, talibusque virtutis colitur operibus.

Ve impio, quia cum illuminabuntur omnia, tum ipse solus obscurabitur.

Ve blasphemus, nam lingua eius ligabitur, & quo pacto iudici loqui poterit.

Ve iniusto, ad iudicem enim austerum, & iustum legislatorem perget,

Ve auaro, quia diuitiae ipsum fugient, & ignis suscipiet.

Ve secundo, quia quereat enim tempus quod male consumpsit & querens non inueniet,

Ve superbo, nam cum sepulchrum ingredietur, quis natus sit intelliget.

Ve scortatori, quoniam stola eius nuptialis sordabit, ex regibusque nuptiis turpiter eicietur.

Ve conuiciatori, & cum ipso ebrio, cum moechis enim constituentur, & cum homicidis punientur.

Ve delicatis, nam tempore exiguo, tanquam vitulus iugulandus saginantur,

Ve hypocritæ, quia pastor suum esse negabit, & iudex
eum lupum esse demonstrabit.

Beatus qui per angustam incedit semitam, coronatus ete
nim cœlorum regnum ingrediatur.

Beatus qui voluptates calcatur; nam coram illo demones
tremunt.

Beatus puro corde; & anima simplici, iudicare enim dig
nus est mundum, & non ipsum mundum.

Beatus vita sublimis, humilis vero prudentia, Christum
enim imitatur, cui & assidebit.

Beatus a cuius lingua lex non recedit, ab huius enim ta
bernaculo deus non separetur.

Beatus qui multis benefacit, iudicandus enim, multos in
ueniet aduocatos.

Beatus qui virtutem non corrumpit, in iudicis enim vē/
tilabrum haud incidet.

Beatus qui virtutes exornat proprias, anteq̃ accenda
tur ignis.

Beatus qui ad vitam sempiternam festinat, præsentia enī
corruptiones esse, ad mortemq̃ trahentia intelligit.

Beatus qui mala abigit, purusq̃ cum puro conglutinat.

Beatus qui audit, & custodit admonitiones istas.

Bestū enī est timere dominū, & solícite cogitare diem il
lā, cū oculta cuncta manifestabunt, & quid facient negligē
tes: cum nullā amplius vtilitatem penitētia afferet.

Hortor igitur omnes, vt his dictis mentē adhibeant gna
uiterq̃ perpendant, qua nam lance eorum facta paulo post
expendi debeant.

Finiunt Sententiæ morales beatis. patris Nili,
Episcopi & martyris gloriosi, Bilibaldo Pirck
heimero Norimbergensi Interprete.

EX SACTISS. PATRIS IO:

annis Damasceni Sermonibus,

Octo sunt passiones, quibus admodum (precipue spiri-
tuales) impugnantur homines, gula videlicet, turpis con-
cupiscentia, auaritia, ira, aduersitas, accidia, vana, gloria &
superbia.

Hæc itaq; vitia discerni, & summa diligētia cognosci de-
bent, vt cum aliquo illorum tentatur homo, semper arma
quibus se munire possit præparata habeat.

Si gula impugnaris, ventrem coherce. numero & mensu-
ra cibus & potus sumatur, animæ separatio a corpore, iudi-
cium venturum, & horrenda gehennæ flamma, pariter &
regni cœlestis desyderium, assidue coram oculis obuersen-
tur, sicq; ventris oprimetur voluptas.

Si turpis & carnalis te male vexat concupiscentia, illam
vigilijs, labore, orationibus & inedia expelle, proderit &
mortis meditatio, mortiferiq; gaudijs supplicium, ac sexus
alterius declinatio.

Auaritia vincit liberalitate, & rei pecuniariæ cōtemptu,
pariter & cogitatione illa, q; ob auaritiam dominum & ma-
gistrum ludas tradidit, & q; oīs auarus a scriptura diuina
idolatra vocatur, quodq; pecunijs ad breue tempus frui da-
tur, morsq; amara vitā acerbā auari sequatur, quapropter si
nihil vltra q; sufficiat querat, passio hæc cuitatur.

Si aduersitate aliqua perturbaris, ora, & spem cunctam
ad deum dirige, vitam & passionem christi, nostreq; imbe-
cillitatem naturę contemplare, præsentia cuncta vt vana de-
spice, gratiam cœlestem, & iustorum fruitionem venturam
perpende, id si feceris nulla iniuria seu contumelia contrista-
beris, sed solum dei offensio te perturbabit.

Si te ita extimulat, mansuetudinem indue, & ad psalmo,

B iij

rum decantationem per fuge, malum in bono vince, maiori cede, æqualem perfer, minori parce, prudentemq; concordiam cum omnibus exerce hominibus, memor quam mā fuisse agnus innocens ad mortem deductus est.

Si accidia infestaris, te ipsum laborando, meditando, orando & legendo, excita, spes firma te instiget, vt considerare possis, quantum inter frigidam pigritiam & calidum inter sit feruorem, quorum vnum a ventura separat gloria, alterum regni cœlestis te hæredem creat.

Quod si vana tentaris gloria, te ipsum scrutare, nilq; ad laudem seu demonstrationem perage humanam. Sed omnis operatio tua in occulto fiat, nemine preterq; deo solo vidente, ad quem vniuersa referantur opera, hominum laudes, honores, prælatiões, & similia contemne, & magis amplectere, si te accusant, & contumelia afficiant, mentientes & odio habentes peccatores,

Si a demoniaca & pessima superbię oppugnaris passione, neminem iudica, sed solum te ipsum circumspecte, & cognosce, humilem te coram deo ostende, & in ferioem omnibus te existima hominibus, audaciam & animi tumorem reijce, ieiunijs, orationibus, vigilijs insiste, & cum te quid recte facere contigerit, non potentia tua illud ascribe, sed diuinæ pietati id totum acceptum refer, simplex & recta sit tua conuersatio, nec aliud in corde, aliud in ore habe, dolosum etenim est, pro in omnis animi elatio lachrymarum fonte extinguitur.

At turbe vitiorum vniuersæ resisti poterit, si semper assidue homo cogitauerit, deum operum suorum inspectore, angelum custodem, virtutis nobilitatem, voluptatem momentaneam, peccati spurcitiem, vitam labilem, mortem incertam, gaudium seu cruciatum sempiternum, purę conscientia pacem, hominis dignitatem, dei beneficium, & super

omnia, Christi vitam, mortem, & crucem, quæ enim & qualis vita, si vix homo ex sepulchro progressus, rursus ad sepulchrum pergat, & demum in perpetua gehenne flamma sepelitur, Deum igitur amemus, & præcepta sua ita observemus, ut ex anclata hac fragili & misera vita, ad perpetuæ beatitudinis gloriam foeliciter pervenire valeamus, fiat, fiat,

BILIBAL, SORORI.

Ne soror optima chartæ iactura fieret, Sanctiss, patris Io. Damasceni contra vitia armaturam pariter conuerti, hisq; beatiss, Nili sententijs coniunxi, ad laudem & honorem dei opti, ac maxi, necnon gloriosiss, matris eius virginis intacte, ac sanctorum omnium, utilitatemq; legentium cunctorum, a quibus pio cordis affectu postulo, ut (si saltem his tam salutiferis moueantur præceptis) mihi laboris mercedem, angelica salutatione, & fausta precatione, solvere dignentur,



Sola virtus corruptionis expers.

Impressum Basilee per Nicolaum Lamparter, Mense Nouembri. Anno, M. D. XVII. Finit foeliciter,



omnis Christi vitam mortem & curam duntaxat
la vita si ex homine spiritus sanctus
pulsatum est & anima per se
sepelitur. Deinde in vitam & prosperam
invevit exultans hac felicitate
et in vitam gloriam feliciter pervenit.

BIBLIA SOROR

In hoc opusculo dicitur de
la. Dicitur contra vitam
& beatitudinem. Nilominus
del. opusculum non est
temperat. actum
confortum & quibus
tam his tam
is in hoc opusculo
solent dicitur.

Sola virtus corporalis est.

Inventum in
M. D. XVII. fine
Anno
M. D. XVII. fine



Rotat omne fatium

17 88

CAROLVS


HEREMITA



(+ 2271925)

17C





A T I S S L
 TRIS NILL, EPI
 pi & martyris Theologi
 antiquis. Sententiæ mo-
 rales e græco in lati-
 num versæ.

*
 ibaldo Pircheimero Norim
 bergensi Interprete.

✣
 cis redolet quicquid cecinere pphete
 & quicquid sacra Sophia docet.

